

2  
RÖPL.  
191  
171,

1542

AD ILLVSTRISSIMVM PRIN-  
CIPEM SACRI RO. IMPERII

Electore, Ioachimum II. Marchionem

Brandenburgensem, in expeditio-

nem cōtra Turcas proficiscen-

tem. Elegia Georgij

Sabini.

Cohortatio ad implorandum Dei auxilium  
contra Turcas, autore Philip. Melanch.



Francofordiae ad Oderam

Mense Aprili Anno

M. D. XLII.

AD ILLVSTRISSIMVM PRIN-  
CIPEM SACRI RO. IMPERII

Electore, Ioachimum II. Marchionem

Brandenburgensem, in expeditio-

nem cōtra Turcas proficiscen-

tem, Elegia Georgij

Sabini.

**S**ic tibi laurigeros victoria lata triumphos,  
Sic tibi conuerso terga det hostis equo:  
Suscipe militiæ princeps fortissime curam:  
Pro patria duri suscipe martis onus.  
Et velut, vltorem quem sensit Amilcare natus,  
Vnicus Aeneadum Scipio murus erat:  
Ac er vt opposuit se fortibus Hector Achiuus:  
Sic patriæ murus sis Ioachime tuæ.  
Excitet aternæ te laudis ad arma cupido,  
Qua solet Heroum mens generosa trahi.  
Namq; duces valido patriam qui Marte tuentur,  
Hos vt Semideos cernis in orbe coli.  
Exacuant etiam te sæua pericula, nobis  
Instant a trucibus quæ metuenda Getis.  
Hoc agitur patriæ non solum gloria bello,  
Sanguine maiores quam peperere suos:

Sed quoq; libertas, quam si Germania perdet,  
 Impia sacrilegi serua latronis erit:  
 Scilicet impuris cogetur dedita sacris,  
 Veri ludibrio nomen habere dei.  
 Aspice Pannoniam, quæ nunc subiecta tyranno,  
 Cogitur in templis multa nefanda pati.  
 Ante colebat vbi Christum solennibus aris:  
 (Heu scelus) ipse locum nunc Mahometus habet,  
 Eripe nos igitur crudelibus eripe Turcis,  
 Iustaq; pro patrijs suscipe bella focis:  
 Affere Christi adum cum libertate salutem:  
 Atq; redemptoris templa tuere tui.  
 Hoc rogat, hoc series exoptat longa nepotum  
 Quæq; cupit nasci libera, quæq; mori.  
 Clarorum hoc animæ poscunt manescq; virorum,  
 Pro patria vitam qui posuere suam.  
 Deniq; captiui tensis ad sydera palmis,  
 Hoc mœsto gemitu, nocte dieq; petunt  
 Hinc procul a nostris abductos sinibus atrox  
 Quos instar pecudum fustibus hostis agit.  
 At tu, magnanimi ducis annue fortibus ausis,  
 Aeterni soboles vnica Christe patris.  
 Non fera bella gerit scelerati more tyranni,  
 Pro populo vindex induit arma tuo.

Illius

Illius a cunctis vitam defende periculis,  
 Quæ dubij præceps alea martis habet.  
 Tu validas illi vires, animumq; ministra,  
 Frangat vt audaci barbara tela manu:  
 Qualiter inuictus cœlesti robore Sanson,  
 Mota Philisteis contudit arma viris.  
 Sacrilegis vero Turcis immitte pauorem,  
 Quo dent in celerem terga cruenta fugam:  
 Non secus Ifacidis ac bella gerentibus hostes  
 Versa repentino terga dedere metu.  
 Quod precor, eueniet: neq; enim sine numine, tantus  
 Prosequitur populi te Ioachime fauor,  
 His in dissidijs patriæq; tumultibus, omnes  
 Vnanimes gaudent quod tua castra sequi.  
 Tanta Mycæneus non agmina duxit Atrides,  
 Concidit Argolica quo duce Troia manu,  
 Quantas ipse equitum turmas, peditumq; cateruas,  
 Maximus imperij nomine ductor agis.  
 Teutonico cuius langore ferocia creuit,  
 Nunc tibi Turcarum gens scelerata caue.  
 Iam video Getici fluuios vndare cruoris,  
 Corpora squalenti cæsa iacere solo:  
 Inq; potestatem redigi durissima Thracum  
 Regna, ferus quorum sceptra tyrannus habet.

A iij Vos

**Vos & io tristi nunc soluite pectora luctu**  
 Quos in compedibus barbara turba tenet.  
**Vltor adest, qui vos dominorum caede redemptos**  
 Liberet, ac vinculis eximat, vltor adest.  
**O quos ille dies plausus, o quanta videbit**  
 Gaudia, quae nullum sunt habitura modum  
**Aspera finieris letis vbi bella triumphis,**  
 Vindice tutatus nos Ioachime manu:  
**Cumq; cathenati reges proceresq; Getarum**  
 Ante tuos ibunt inelyte victor equos.  
**Aureus hanc vtinam properantibus adferat horis**  
 Lucifer, & celeri Cynthus axe, diem.  
**At iam tempus adest, vt agas in bella cohortes,**  
 Te fera cum lituis tympana pulsa vocant.  
**I foelix, auibusq; moue tua castra secundis:**  
 Excidat imperio te duce Turca suo.

**COHORTATIO ad implorandum**

Dei auxilium contra Turcas

Autore Philip. Melanch.

**A**Cer Idumæus loca per deferta vagantes,  
 Arcere Ebræos finibus ausus erat:  
 Conseruitq; manus: sed Moses arma suorum

**A**d iuuat, & precibus praelia magna ciet.  
 Et vincit quoties palmas ad sydera tendit,  
 Quenq; vocat, coram sentit adesse Deum.  
 Brachia sed quoties iterum lassata remittit,  
 Cogitur Ebræi cedere turba ducis.  
 Ergo die toto dum fufus pellitur hostis,  
 Erectas palmas vt tenuisse queat,  
 Subijcitur cubitis orantis faxea moles,  
 Sollicitoq; suis corde petentis opem.  
 Sic quoties curamq; precesq; remisimus ipsi,  
 Ocia securis insidiosa nocent.  
 Illecebræ vacuas subeunt dulcedine mentes,  
 Et facile in vitium pectora prona trahunt.  
 Exacuant igitur tot nostra pericula curas,  
 Propositæ nobis exitijq; viæ.  
 Nec quisquam putet his se emergere posse procellis,  
 Auxilium præfens ni Deus ipse ferat.  
 Conditor æternus vera est tibi voce rogandus,  
 Hunc tamen vt places, ara petenda tibi est.  
 Nulla est grata Deo, nisi Christus filius, ara,  
 Qui luit officio crimina nostra suo,  
 Huic impone manus, huic toto incumbito corde,  
 Ad patrem nostras perferet ipse preces.  
**FINIS.**

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page.



zu gedemben des d. Sabirij dem  
had zu printe

